



# The Holy See

---

FRANCISCUS

## EPISTULA DATA

CASIMIRO S.R.E. CARDINALI NYCZ

*Venerabili Fratri Nostro*

*Casimiro S.R.E. Cardinali Nycz*

*Archiepiscopo emerito Varsaviensi*

Evangelio laboris splendet Silesiam Altam incolens Poloniae populus, qui, pro innumerabilibus donis Deum laudans atque sub tutelam Beatae Mariae Virginis de Piekary ibi invocatae ex nomine Matris iustitiae et amoris socialis confugiens, altum sensum in dignitate navitatis humanae innisum ostendit, qua in opera exercenda unusquisque christianorum religiose devoteque cum Christo e die in diem magis magisque iungitur. Hac in terra centum ante annos, a Praedecessore Nostro Pio XI virtute bullae *Vixdum Poloniae unitas* erecta est dilecta Nobis Katovicensis dioecesis, postea sane a s. Ioanne Paulo II bulla *Totus tuus Poloniae populus* ad archidioecesis metropolitanae dignitatem ac gradum evecta, quae communitas, hoc Anno Sancto, suae institutionis anniversarii et gratae plurimorum beneficiorum memoriae causa sollemni modo hunc faustum felicemque eventum pro bono et emolumento Ecclesiae catholicae in Polonia exoptat celebrare.

Ex litteris Venerabilis Fratris Hadriani Iosephi Galbas, S.A.C., tunc Administratoris Apostolici archidioecesis Katovicensis, cui Varsaviensem deinde archidioecesim gubernandam nuper commisimus, novimus illud supradictum Centenarium die XXIII mensis Novembris anni MMXXIV inceptum, suum fastigium habere inter Missarum Sollemnia die XI proximi mensis Iunii Katovicensi in urbe, scilicet in Ecclesia Cathedrali Christo Regi dicata, atque usque ad I Dominicam Adventus huius anni protendere. Opportunum Nobis visum est, ad diligentiore usque modo pondus ac gaudium Ecclesiae Katovicensis pro hac divina gratia reddendum, sicut memoratus Praesul enixe quaesivit, ut Patrem Purpuratum eligeremus, qui Nostram personam gereret atque Evangelii gaudio congregatum populum confirmaret. Rerum adjunctis attente consideratis, nimirum virtute his Litteris te, Venerabilis Frater Noster, Missum Extraordinarium Nostrum ad illum supradictum eventum sollemniter explendum libentes fidentique animo declaramus, ita ut sacris ritibus nomine

Nostro praesideas, Dei populum erudiens de necessitate Evangelii nuntiandi eiusque transmittendi peculiariter in sinu familiari itidemque variis in laboris locis. Hoc enim plane veritatem ostendat, de qua pristinus auctor scripsit: “Fiunt, non nascuntur christiani” (cfr Tertullianus, *Apol.* 18,17); ideo fiunt quia acceperunt, nascuntur quia eis traditum est (cfr *1Cor* 15,3) et itaque ad Dominum se conformaverunt.

Proinde, Venerabilis Frater Noster, te diligenter quaesumus, ut ibi adstantes cunctos Fratres in episcopatu, civiles Auctoritates, presbyteros, diaconos atque vitae consecratae sodales necnon christifideles laicos comiter salutes, Nostram benevolentiam eis ostendens, quibus omnibus suademus, ut tempore huius Anni Sancti testimonium Spei, Lucis et Vitae, intercedentibus Beata Maria Virgine de Piekary, s. Hyacintho, *Lux ex Silesia* nuncupato itemque patrono huius metropoliae una cum ss. Barbara et Floriano, qui e caelo hanc archidioecesim tuentur, imo e pectore perhibeant.

Nos missionem tuam orationibus comitabimur teque, Venerabilis Frater Noster, tutelae Beatae Mariae Virginis eiusque Sponsi s. Joseph fidenti animo committimus. Nostram denique benedictionem prolixe tibi imprimis elargimur, cum omnibus ad quos nunc mitteris communicandam, vicissim pro gravi Nostro Petrino ministerio exercendo preces enixe expostulantes.

*Datum Romae, Laterani, die XIII mensis Aprilis, Dominica in Palmis de Passione Domini, Anno Sancto MMXXV, Pontificatus Nostri tertio decimo.*

FRANCISCUS